

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

CONFESSIONE,

Quam

Auxiliante & assistente Sacrosancta Trinitate,
Decreto & auctoritate

Magnifici Amplissimiq; Jctorum Ordinis in Celeberrima ac
Salam Academia,

SUB PRÆSIDIO

Viri Magnifici, Amplissimi, Consultissimi & Excell.

DN. ORTOLPHI FOMANNI

D. Decret. Prof. P. Ordinar. Collegii Juridici,

ac non Dicasterii Provincialis, Facultatis Juridicæ & Scabi-

natus in Illustri Salana Adsefforis dignissimi, Dn. Præce-

ptoris ac Promotoris sui ætatem obser-

vandi,

*Pro summo in utroq; Jure gradu & privilegiis
consequendis,*

In Auditorio Jctorum ad diem 27, Martii horis matutinis
consuetis

publico examini proponit

MICHAEL Kreuch Ohrdruffio Thuringus.

Job. Fab. ad §. his igitur. Inst. de J. & J. n. 1.

Nihil magis ad spem percipiendæ scientiæ erigit, quam cum
eos, quos in scientia clarescere miramur, aliquando par-

indoctos fuisse meminimus,

Diss. jur. civ.

110, 8

J E N Æ
X P I S W E I D N E R I A N I S.

ANNO 1634.

42.

11
A



Praefatio.



Actio ex Ordinatione Camerae p. 3. tit. 43. in
pr. tribus modis contra contumacem Re-
um procedere potest, vel ad poenam ban-
ni: *Ordin. Cam. p. 2. tit. 19.* vel ad immissio-
nem bonorum ex primo decreto, secun-
dum naturam Actionis intentatae & distinctionem in
c. quoniam s. §. in aliis v. extr. ut lit. non contest. vel deni-
que in causa principali usque ad definitivam & deci-
sionem causae. *Diocl. & Maxim. l. consentaneum, 8. C. quo-
modo & quando jud. sent. tt. ff. de re judic.* Verum istam
in possessionem bonorum missionem iudex non tantum
contra contumacem, sed etiam contra apparentem &
debitum confitentem debitorem concedit, confessio
enim debitoris etiam inter ordinarios modos mitten-
di in possessionem bonorum debitoris refertur, non
secus ac quando res alienum declaratum est sententia,
quia confessi pro iudicatis sunt. *Ulp. l. post rem s. ff. de
re judicata.* & quodammodo sua sententia damnantur.
Paulus l. confessus i. ff. de confess. Cum autem hujus ma-
teria de Confessione cognitio uti in hoc puncto, ita &
in aliis maximam utilitatem praebet, nec non in foro
frequens fit, ideo eam ut & ex aliis quoque causis eli-
gere lubuit. Et licet haec materia in utroque jure pro-
priam sedem habeat, ac sub certo titulo breviter qui-
dem conscripta sit, interim tamen rem in praesenti non
minimam aggressus sum, sed talem, quae insuper etiam
omni pene corpore juris effusa est, uti loquitur *Justi-
nian. in l. un. in pr. C. de rei ux. act.* pro tempo-
ris angustia colligere, eamque pro tenuitate ingenii
me-

me-

methodicè tractare conatus sum, methodicâ namque tractatione nihil utilius, nihil illustrius reperitur, perperam enim effusèque posita, si ad competentem perveniant ordinem, & bellè disponantur: aliæ prope modum res apparent, speciosæ pro turpibus, ornatae pro incultis, articulatae distinctaeque pro incompositis prius & confusis. *Justin. in Nov. 31. in pr. & mera obscuritas ingeritur, si materia sine justo ordine, quem omnis tractatio desiderat, proponatur. arg. l. 1. in pr. ff. de tabb. testam. null. ex tab.* Quâ præfatione, nè illotis manibus protinus materia tractetur, *Cajus l. 1. in fin. ff. de O. J. præmissâ, Justinianum Imperatorem religiosissimum sequor, qui more solito manus ad Deum erexit eumque invocavit, l. dedit nobis. 3. in pr. C. de vet. J. enucl. nunc in nomine ejus, in cujus ad omnia consilia omnesque actûs semper progredi debemus, l. in nomine. 2. in pr. C. de offic. præfect. prætor. Afric. rem ipsam aggredior, sit itaque bono cum Deo*

Thesis I.

Licet in jure nostro potior rerum, *Celsus l. scire leges. 17. ff. de LL. l. scire. 13. §. aliud. 2. ff. de excusat. Ulp. l. si quis ita 3. §. conditio 9. ff. de adim. vel transfer. legat. c. intelligentia 6. c. propterea. 8. extr. de V. S.* prior tamen verborum & vocabulorum ratio est habenda, *arg. l. juri. 1. in pr. ff. de J. & J. l. hujus edicti. 1. §. pactum. 1. ff. de pactis l. è re est. 1. ff. de reb. credit. ex notatione enim nominis sæpe inducimur in cognitionem rei. Confiteri, teste Varone, §. de Lingu. Lat. idem ferè est, ac agnoscere, fateri, l. certum. 6. §. si quis 1. ff. de confess. profiteri l. tale pactum. 40. in pr. ff. de pact. licet profiteri interdum plus sit, quàm confiteri, uti ex Cic. pro Manil. patet, dum inquit: Hoc non solùm confiteor, verùm etiam profiteor; & pro Cacinna: ita confitetur, ut non solùm fateri, sed & profiteri videatur. Quidam differentiam inter confiteri & indicare faciunt, dicen-*

427

dicentes: Indicatis, qui de se volens aliquid & de aliis etiam prodit: confitetur autem, qui de se tantum, & quidem invitus. Glossa v. in l. servos 8. C. ad L. Jul. de vi. in verb. confessionibus, tam ad eam quæ ultrò fit, quàm quæ per tormenta exquiritur, refert. per l. in criminibus. 1. §. si quis ultrò. 27. ff. de questionibus. Confessio etiam pro cautione sumitur, ut in l. cum de indebito. 25. §. fin. ff. de probat. l. si patronus. 20. §. 1. ff. de donat. l. antiqua. 23. §. ne a. 2. C. ad S. C. tum Vellej. Hoc etiam nonnulli notarunt, verbum confiteri à Cicerone aliisque frequentius & rectius ita usurpari, ut dicamus confiteri de scelere, non scelus, sicut accusare, damnare de furto &c.

II.

Definitur s. potius, cum omnis definitio in jure periculosa sit, Modest. l. omnis. 202. ff. de R. 7. describitur confessio, quòd sit veritatis eruendæ gratiâ ipsius confitentis contra se propria pronuntiatio l. confessus. 1. ff. b. t. gl. ad c. Statuimus. 1. de confess. in 6.

III.

Confessio secundum Dd. est vel *judicialis*, quæ in jure, five in judicio lite contestatâ coram judice jam munere judicis fungente fit. Ulp. l. voluit. 4. §. 1. ff. de interrogat. l. post rem. 56. ff. de re judic. l. un. C. b. t. jus enim interdum significat locum, in quo jus redditur, appellatione collata ab eo quod fit in eo, ubi fit. Paulus l. jus pluribus. 11. in fin. ff. de 7. & 7. vel *extrajudicialis*, quæ fit extra judicium. Papin. l. tale pactum. 40. in pr. ff. de pact. l. certum. 6. ff. b. t. gl. in d. l. 4. ff. de interrogat. Extrajudicium autem quis nec in jure, nec in judicio sed extrajudicialiter cõfiteretur. Ante Litis contestationem judicium propriè appellari non solet l. amplius. 15. ff. rem rat. hab. quia judicia ordinantur per litis contestationem, l. un. C. de lit. contest. l. ordinata. 24. ff. de liberali causa. & litis contestatio substantiale & perfectum judicii fundamentum est. Confessio, quæ coram Notario fit, etiam extrajudicialis dicitur gl. l. jubemus, 41. C. de liber. causa.

IV.

Illam confessio, quæ coram arbitratore fit, etiam extrajudicialis est, Arbitratores namque propriè vocantur arbitri ele-

734
Si à partibus ad causam & controversiam amicabiliter componendam & transigendam, ein willkürlicher Schiedesmann / auff welchen die Parteyen ihre Sache stellen / daß Er die nach seinem besten Verstande söhnlischen handele / vnd darinnen schlechtes vnd ohne Form des Gerichts verfare. *vid. l. societatem. 76. in fin. ff. pro socio l. si quis arbitratus 43. ff. de V. O. l. si merces, 25. in pr. ff. locati. §. sed & certum 1. 7. de empt. & vendit.* Hi aliquando proxenetæ appellari solent, tanquam conciliatores & mediatores partium emptionibus aliisque contractibus adhibiti. *ll. ff. de proxenet.* Illa verò confessio quæ coram arbitro, qui processit ordine judiciario, facta est, judicialis dicitur, cum arbitria ad instar judiciorum sint redacta *l. compromissum. 1. ff. d. recept. arbitr.* & hujusmodi arbitri secundum ordinem judicium procedere cogantur.

V.

Prætereà confessio alia dicitur *spontanea*, quando quis ultrò aliquid fatetur *l. criminibus. 1. §. si quis ultrò 27. ff. de question.* Alia *extorta*, quæ ad eliciendam veritatem, si aliis probationibus ea illuminari nequit, tormentis fit *l. quoties. 12. C. de quest. Paulus lib. 5. sentent. tit. 14. §. 16.*

VI.

Est & confessio alia *simplex*, alia *qualificata*: illa dicitur, quando Reo confitetur debitum vel crimen purè ac sine aliqua qualitate, & tunc fundata est intentio Actoris: hæc, quando adjicitur aliqua qualitas, veluti, si quis dicat, se occidisse ad sui defensionem.

VII.

Causa efficiens remota est *lex 12. tabb.* cujus verba ex antiquorum monumentis collecta ita se habent: *Æris confessis rebusque judicatis XXX. dies justi sunt, post deinde manus injectio esto: in jus ducito. Nî judicatum faxit, aut quis pro eo in jure vindex sit, secum ducito, vincito aut nervo, aut compedibus XV. pondo, ne minore: aut si volet majore vincito, si volet suo vivito: in suo vivit, qui eum vinctum habebit, libras farris indies dato: si volet, plus dato. Tertius nundinis, partes secanto, si plus minusve secuerint, sine fraude esto. Deinde hanc leg. 12. Tabb. approbavit D. Marci oratio, *Ulp. l. postrens**

428

rem. § 6. ff. de re judic. cujus D. Marci orationis voluntatem
secuti sunt prætores l. certum, 6. §. sed & 2. vers. Etsi ff. b. t. de
nique hæc omnia aliæ leges & constitutiones principum ap-
probant l. confessus 1. ff. b. t. l. un. C. cod. Propinqua est volun-
tas confitentis, vel evidentia rei atque veritate convicta, l. qui
sententiã. 16. C. de pen. c. tua. §. extr. de cohabit. Cleric. & mulier.
vel aliis objectis commota & impulsæ ad confitendum, coacta
namque voluntas etiam voluntas est. l. si mulier 21. §. si metu. §.
ff. quod met. causa. l. si patre. 22 ff. de rit. nupt.

II X.

Major 25. annis cum effectu confitetur, minor verò, licet
sua confessione propter consensum obligetur, tamen, si contra
se ipsum confessus fuerit, sibi nõ præjudicat, sed restituitur, Ulp.
l. certum 6. §. in pupillo 5. vers. minorem ff. b. t. gl. in c. notum 2. q.
1. l. si curatorem 3. C. de in integr. restit. min. in pupilli confessione
tutoris auctoritas exigitur, Ulpian. d. l. certum 6. §. in pupillo 5. ff.
b. t. aliàs non valet, quoniam ejus ætas quid videat, ignorat,
l. quoniam 1. in fin. C. de falsa moneta. §. præterea. 1. §. quib. non est
permiss. fac. testam. & ejus judicium suppletur auctoritate tuto-
ris, l. quamvis. 32. §. 2. ff. de A. R. P.

IX.

Suo nomine quis rectè confitetur, non verò alieno nomi-
ne, cujus appellatione veniunt procuratores, vel tutores,
vel curatores, horum enim confessio, si ultrò facta fuerit,
non sufficit, nec Domino absenti præjudicat, l. certum 6.
§. sed an. 4. ff. b. t. l. si sine 9. §. si defensor. 4. ff. de interrogat. Sed
ipsi tantum procuratori, l. proinde, 25. §. 1. ff. ad L. Aquil. nisi
quis speciale mandatum confitendi habuerit, vel confessio e-
jus postea à Domino causæ rata habita fuerit, nam rati habitio
retro trahitur, & mandato proculdubio comparatur, c. rati ha-
bitionem 10. de R. J. in 6.

X.

Materia confessionis est omnis res, quæ in controversiam
vocatur l. confessionibus 13. ff. de interrog. nam si confessio fieret
super re, de qua non est controversia, confessio non nocet, ut
tu petis à me agrum, ego dico, domus non est mea, d. l. Con-
fessionibus 13. in pr. ff. de interrogat. Et hoc verum est, si con-
troverfia

854
proverbia oriatur ex contractu vel quasi, sive ex delicto vel quasi,
dummodo confessio non adversetur *juri*, veluti quando mu-
lier confitetur, se liberos in suâ potestate habere, contra *text.*
in §. femina 10. §. de Adopt. c. fin. extr. de pact. Et confessio pa-
tris rem de pecunia filii fam. emptam esse pro filio in profecti-
tiis non probat, quia, quicquid filius habet, à patre habet, *arg.*
l. profectitia 5. §. fin. ff. de J. dot. gl. in l. cum oportet 6. C. de bon.
qua lib. verb. ex ejus substantia &c. Aut favori, quia confessio
facta contra causam favorabilem non valet, veluti si aliqua
professa sit apud acta se esse ancillam, hujusmodi factum de-
fensionem libertatis non excludit, *l. interrogatam 24. C. de liber.*
causa l. cum scimus 22. C. de agric. & censit. Et hoc notandum
propter summum libertatis favorem, *l. quoties 20. l. libertas 106*
l. libertas 122. l. non est 176. §. 1. l. in obscura 179. ff. de R. J. Et fa-
vor matrimonii efficit, ut nulla confessio conjugum contra
matrimonium publicè contractum ei præjudicet, c. super eo 5.
extr. de eo qui cogn. consanguin. c. ex literis 5. extr. de divort. pro
matrimonio autem confessio valet, c. cum causa 6. extr. de ra-
ptor. c. accepisti 1. extr. de frigid. & malefic. aut denique natura,
veluti si quis aliquem suum filium esse dixerit, cujus tamen ætas
non pateretur, ut filius ipsius esse posset, quia falsæ confessio-
nes naturalibus convenire debent, *d. l. Confessionibus 13. ff. de*
interrogat. & in totum confessiones ita ratæ sunt, si id, quod in
confessionem venit, & jus & naturam recipere potest, l. si is
cujus. 14. §. 1. ff. interrogat.

XI.

Res etiam, quam quis se debere confessus est, in rerum na-
tura esse debet, *l. fin. ff. b. t. alias nesciens & dubitans rem confes-*
sam in rerum natura esse vel non, interim condemnare non de-
bet, sed condemnatio suspendenda est, donec certum sit, rem in
rerum natura esse, quo apparente, condemnatio locum habet,
l. fin. ff. b. t. Si verò quis rem certam sciens eam in rerum natura
esse defuisse, confessus fuerit, in rei illius æstimationem damna-
tur, hanc enim confessus videtur, *Paulus l. Julianus 3. ff. b. t. quan-*
do illud, quod quis confessus est, post litis contestationem de-
cesserit, propter moram confessus condemnandus est, Ulp. l.
qui stichum 5. ff. b. t. nam mora sua cuilibet est nociva, c. mora

25. de R. 7. in 6. l. in condemnatione 173. §. unicuiq; 2. ff. eodem. Incertum confessus pro iudicato non est, urgeri tamen potest ut certum in specie confiteatur, Ulp. l. certum. 6. in pr. & §. 1. ff. b. t. ille qui rem, quæ pondere, numero, mensurave constat se debere confessus est, certum pondus, numerum, mensuramve ut confiteatur, urgendus est, d. l. certum. 6. §. si quis incertum. 1. ff. b. t.

XII.

In delictis quoque id quod in confessionem venit, ut existat, requiritur. Ex sola namque confessione nemo punitur, nisi prius aliter constet, delictum verè esse commissum, l. in criminibus 1. §. Divus 17. ff. de question. adeò ut perire volens non audiatur, sed differendum sit supplicium, l. non tantum 6. in fin. ff. de Appell. quia de corpore aut fama agitur, quæ non sunt in potestate & jure confitentis, cum nemo membrorum suorum sit Dominus, l. liber homo 13. in pr. ff. ad L. Aquil. & magis consulendum sit his, quibus gravius periculum intenditur, l. si cui 1. §. sed & si. 5. ff. de Carbon. Edict. Ideò, si quis cædem hominis confessus est, tunc ex confesso tenetur, quando constat, illum hominem occisum esse. Paulus l. si is. 4. ff. b. t. l. proinde. 25. in pr. ff. ad L. Aquil. l. cum aliter. 1. §. item illud. 24. & l. necessarios. 5. §. 2. ff. de SCto Silan. Et quando quis confiteatur se occidisse hominem in nemore, ei non credendum est, nisi prius iudex mittat ad inquirendum, an homo ibi occisus fuerit, & commisso inibi homicidio, exhumari hominem curet ad videndum. Item, si non constat de corpore occisi infantis, quem mater necaverat, ut quia à suis devoratus est, tunc capitis condemnari non debet ex sola confessione, nec absolvi propter confessionem. Itaque matri confitenti infantem occisum, quem Sues devorârunt, Scabini Lipsen, imposuerunt fustigationem. Inde in capitalibus sententiis, quando de delicto non aliter, quàm ex confitentis confessione constat, adjici solet hæc clausula: Da nach genomme- ner Erkundigung sich befinden würde / daß der bekandte Todts- schlag also verübet / etc. Ze. daß der mehren Theils solcher be- kanden Stücke verlohren, etc.

Forma confessionis est, ut ea fiat *scienter*, qui in facto *er-*
rat non fatetur, Ulp. l. non fatetur, 2. ff. b. t. l. error. 7. C. de jur. &
fact. ignorant. l. verba. 1. C. de falsa causa adject. proinde talis
 confessio errore probato revocari potest, l. de etate. 11. §. qui ju-
 sto. 10. ff. de interrogat. c. fin. extr. de confess. Veluti si creditor
 confitetur, debitorem suum sibi debere decem aureos, cum
 debeat 15. hunc errorem, si probaverit vel per apocham vel a-
 lio modo, potest revocare, nec nocebit ei confessio. Et hoc
 est verum, nisi fuerit *confessio geminata intervallo*, aut præ-
 cesserit terminus ad deliberandum, quia tunc non potest revo-
 cari, l. qui interrogatur. 5. ff. de interr. In dubio, quem errasse non
 præsumitur, quia nemo existimandus est dixisse, quod non men-
 te cogitavit, l. Labeo. 7. §. 2. vers. id Tubero. ff. de supell. Leg. *Erro-*
rem igitur alleganti incumbit probatio, errore vero non pro-
 bato, confessioni standum videtur. Si confessio fuerit dubia,
 interpretatio faciēda est in partem *benigniore* pro confiten-
 te, & id, quod *utilius est*, accipiendum est, l. si quis. 66. ff. de ju-
 dic. licet in contractibus aliisque actibus contrarium servetur.
 l. veteribus. 39. ff. de pact. l. Labeo. 21. l. cum in lege 33. l. si in emptione.
 34. in pr. ff. de contrahend. empt. Qui in jure errat, non excusatur,
 d. l. 2. b. t. ignorantia enim facti, non juris excusat, c. ignorantia
 13. de R. 7. in 6. modò constitutio in corpore juris sit clausa, se-
 cūs, quando errat in aliqua extravaganti, l. cum prolatis. 32. ff. de
 re judic. aut persona errans esset *fœmina, miles, rusticus, &c.* l.
regula est, 9. in pr. §. 1. ff. de jur. & facti ignor.

XIV.

Hinc, quando quis dicit sibi in testamento fidei commis-
 sum relictum esse, illudque deinde petit, hæres vero per erro-
 rem confessus est se illud debere, sed postmodum ratione erro-
 ris absolutionem petit, arbiter ad restituendum fideicommis-
 sum datus comperit nihil deberi, quæritur an possit absolvere?
 Hic distinguendum est, aut apparet nullum fideicommissum
 relictum esse, & tunc non debet eum absolvere, sed ad præto-
 rem mittere, ut absolvatur, Ar biter etenim hoc in casu non po-
 test dare in integrum restitutionem, l. fin. vers. sed nè quis. C. ubi
 & apud quem cogn. in integr. Aut testator fortè solvendo non
 erat.

erat.

erat, vel hæres omne solutum esse apud prætorem dixerat, & cum controversia & computatio difficilior esset, arbiter datus fuit, tunc is salvo officio absolvit: Hæ enim ejus partes sunt, ut, si in computatione nihil inveniatur, possit absolvere, *l. cum fidei commissum. 7. ff. b. t.*

XV.

Sponte & liberè, *c. si quandoq. 15. q. 6.* Confessio etenim spontanea præsumitur deliberatè emissa, sed illa, quæ per vim vel metum mortis, vel cruciatus, vel tormentorum facta est, non valet. *l. in criminibus. 1. §. si quis ultro. 27. ff. de question.* Et confessioni, quæ fit ex necessitate, fides non habetur, *d. c. si quandoq. 15. q. 6.* Adeò, ut ne per indicia torturam sequentia, confessio confirmetur: secus est, si quis in confessione debitè & præcedentibus legitimis indiciis factà perseveraverit. l. quicquid. 48. ff. de R. 7. gl. in l. qui in carcerem. 22. ff. quod met. causa, tunc igitur ex consensu, vel ratificatione confessio ista confirmatur, ac perinde habetur, ac si ab initio consensisset, *l. fin. C. ad Scum Maced.* Et ita ex hodiernâ observantia, cum de delicto constat, & confessio est verisimilis, nec alius autor invenitur; Reus si in confessione tormentis extorta publicè in judicio perduret, ex ea condemnatur, nam etsi confessio in tormentis facta ad condemnationem non sufficiat, quasi metu extorta, tamen ea vis purgatur, quando postea extra locum carceris ejusmodi confessio renovatur. *P. S. D. Carol. V. art. 58.* Et judicis est, autequam confesorem condemnet, ut curet extra tormenta illam confessionem repeti. Aliàs non poterit condemnare.

XVI.

Inde quæritur, si reus suam confessionem in publico judicio iterùm revocat, an denuò torqueri possit? Affirmantiam sententiam sequimur, & statuimus repetitioni locum esse, cum ob priorem confessionem in tormentis factam, quæ loco semiplenæ probationis est, *gl. in l. si quis. 2. C. de custod. reorum. in verb. constiterit.* tum ob variationem, quæ novum facit indicium, nisi reus suæ revocationis talia fundamenta afferat, quibus judex moveretur, rei confessionem errore factam esse, credere, tunc judex reum, ut

B 2

erro

errorem, proder, admittit. P. G. D. Carol. V. art. 57. Si autem
in secunda vel tertia tortura (quoties enim, & quando tormen-
ta repeti possint, discreti iudicij arbitrio relinquendum est, P.
G. D. Carol. V. art. 58.) Reg iterum confitetur delictum, & post
eà confessionem revocat, tunc secundum communem Dd. opi-
nionem reus vel sub fidejussore, de se rursus sistendo relaxari,
vel absolvi quidem debet, sub hâc tamen clausula, rebus stanti-
bus prout stant, non autem ut postea propter alia indicia rur-
sus capi non possit, siquidem dolus futurus non potest remitti.
*l. si unus. 27. §. illud. 3. ff. de pact. ne delicta maneât impunita, l. ita
vulneratus. 51. §. estimatio. 2. ff. ad L. Aquil. Prædicta a. non proce-
dunt, si delinquēs est admodū famosus, & in ultima tortura quædā
mendacia attulit, ac alia evidentia facti cōtra eū militat, reusq;
ea, etiam si vel maximè vellet, negare nō potest, tūc licet cōfessi-
onē suā vel decies revocaret, nihilominus pœnā ordinariā coer-
eri potest, prout in Scabinatu Lipsensi ita pronunciatum fuit.
Nā præsumptio est, quod ex malitia quædā confessionem revoc-
averit. Et aliàs reus ad mortem condemnari potest, si contra
eum veræ & plenæ probationes adsunt, etsi delictum in tor-
mentis quàm constantissimè neget & fateri nolit, *l. qui senten-
tiam 16. C. de pœn.* Plerique enim patientia, seu duritia tormen-
torum, ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo
modo possit, *l. in criminib. 9. 1. §. questioni. 23. ff. de quest.* Pro evi-
tâda hâc fraude & timore revocationis hâc cautela adhibetur,
ut exacto biduo vel triduo post torturâ doloribus cessantibus
(wann sich die Schmerzen gelegt) reus extra carcerem ducatur,
ipsique coram iudice, ejusque adfessoribus adhibito Notario
confessio ipsius prælegatur, eaque ab eo renovata ac ratificata à
Notario publ. scriptis & instrumento comprehendatur, quam,
utpote geminatam & scripto comprehensam, si denuò ad pu-
blicum tribunal deductus velit revocare, non auditur, sed sim-
pliciter cum eo ad supplicium proceditur.*

XVII.

In iudicio facta confessio confitenti nocet. *l. post rem. 56
ff. de re judic. l. un. C. b. t. c. cum super. 2. extra eodem.* Extra judi-
cialis namque confessio confitenti regulariter non præjudicat,
nisi

nisi geminetur, vel sæpius fiat, hoc casu talis confessio geminata, ac ex intervallo facta præsumitur deliberatè facta, nec non confitenti præjudicat. Confessio facta per viâ voluntariæ jurisdictionis potest fieri in quolibet loco. *l. omnes. 2. ff. de off. procōs.*

XIX.

Coram suo iudice expeditur confessio judicialis. Sicuti enim sententia à non suo iudice lata non tenet, ita & facta confessio coram ipso. *c. & si Clerici 4. extr. de judic.* nec illa confessio, quæ coram incompetente iudice fit, pro judiciali habetur, veruntamen indicium ad torturam facit. Et licet iste iudex non sit iudex causæ, est tamen honesta persona, & confessio facta coram honestis personis facit indicium. *l. quero. 58. §. fin. ff. de Edil. Edict.*

XIX.

Contra confitentem facit confessio, quia creditur tantum confitenti contra se ipsum, nec pro ipso, neque ei confessio sua prodest, *l. Publica. 26. §. 2. ff. Depositi. l. de atate 11. §. 1. ff. de interrogat. l. exemplo. 7. C. de probat. Nov. 48. c. 1. §. sed hæc. c. cum monasterium. 1. extr. b. t.* Ad eò ut si moriens quis dixerit, sibi ab aliquo vim mortis illatam esse, ipsi omninò credendum non sit, nisi probatio adsit. *l. si quis. 3. §. 1. ff. de Scto Silan. l. non est. 4. ff. de inoff. test.* Licet non negaverim talem confessionem in articulo mortis factam pro confitente ejusque hæredibus præsumptionem inducere, quoniam nemo eo tempore præsumitur mendacium dicere. Secundum quosdam talis confessio semiplenè probat, ut, quando una cum ipsa offensi assertione alia indicia etsi levia concurrunt, indicium ad torturam faciat. Verùm licet regulariter stetur confessioni contra confitentem, *l. un. C. b. t.* hoc tamen locum non habet, quando ratio subjectæ materiæ svadet, confessioni non stari propter præsumptam collusionem, vel alias. *c. super eo. 5. extr. de eo, qui cognovit consang.*

XX.

Denique ad verliario præsentem confessio fieri debet, & sufficit procuratorem, tutorem, curatoremve ejus præsentem esse. Hoc verum est in confessione liberatoria. *l. postquam liti. 4. C. de pact.* in confessione verò facta ad obligandum quæ-

B 3 piam

piam in iudicio ultra præsentiam adversarii etiam requiritur, ut confessio ab adversario expressè acceptetur, quodque aliàs non præjudicet confitenti. Adversario autem absente, confessio confitenti non nocet, nec solet quis absenti condemnari *l. certum. 6. §. si quis. 3. ff. h. t. l. fin. ff. de interrog. gl. in c. fin. extr. b. t.* quia plenè non probat talis confessio. Quod etiam de Jur. Can. verum est, *c. fin. extr. de success. ab intestat.* de quo enim J. Can. non est expressè aliter statutum, in illo jus civ. observamus. *c. intelleximus. 1. extr. de N. O. N.* Hoc fallit absente parte contumace, quæ habetur pro præsentem *l. preparandum. 13 §. 2. C. de judic.*

XXI.

Confitetur etiam quis fugâ, nam fugiens reus suâ sententiâ fit suspectus. *l. impuberibus. 7. §. præterea. 2. ff. de suspect. tut. propemodum sui ipsius accusator dicitur. Nov. 53. & damnato comparatur. l. si in libertinum. 28 §. 1 ff. de bon. libert.* Ille, qui jam custodiæ traditus est, si effugiat, quamvis innocens inveniat ex eo crimine, propter quod impactus est in carcerem, tamen puniendus est. *l. in eos. 13 ff. de custod. & exhib. reor. l. 1 ff. de effraCTORIB. & potest ejusmodi fuga indicium aliquod ad torturam facere, delictumque commissum aggravare.* Quando verò fuga plenè vel semiplenè probet, quando item levem suspicionem inducat, ac quomodo in fugientem animadvertatur, in discursu declarabitur distinguendo.

XXII.

Item contumacia habetur pro confessione. *c. nullus dubitat. 4. extr. de presumpt.* eaque, quia aliàs cumulat poenam. *l. relegati. 4. ff. de pœn.* si citatus ad iudicium non venit, & in contumacia perseverat, indicium ad torturam facit, modò concurrat levitas vitæ accusati vel aliud adminiculum. Quando autem articuli s. positiones pro confessatis habeantur, distinguendum est, reus aut semel apparuit, litemque contestatus est, & tunc, si post comparitionem, & litem contestationem contumax sit in respondendo, articuli in contumaciam non respondentis pro confessatis accipiuntur. *c. si post prestitum. 2. de confess. in 6.*
Or.

Ordin. Cam. p. 3. c. 15. §. Begebe sich aber. Aut nunquam apparuit, hoc casu contra non comparentem in contumaciam servato juris ordine proceditur. *d. c. si post. 2. de confess. in 6.* quia cum judicium cum eo, qui nunquam apparuit, nondum sit inchoatum, non possunt etiam articuli in contumaciam pro confessis haberi. Verum in Camera testantibus Dd. receptum est, articulos in causa fractæ pacis cum sit criminalis & capitalis in contumaciam non respondentis pro confessis acceptari non posse, sed opus est liquidis probationibus ad convincendum absentem de crimine violatæ pacis publicæ. *l. fin. C. de probat.*

XXIII.

Paciscendo etiam quis confiteri videtur. *l. quoniam. 5. ff. de his, qui not. infam.* Hoc autem de actione s. iudicio jam coepto intelligendum est, ante enim actio s. iudicium nominari proprie non solet. *l. amplius. 15. ff. rat. rem. hab. nec pro confesso convicto que haberi potest,* qui ante & extra iudicium paciscitur, cum nē vera quidem nedum præsumpta confessio extra iudicium facta pro idonea probatione sit, quæ ad condemnationem sola sufficiat. *gl. in l. voluit. 4. ff. de interrogat.*

XXIV.

Ille quoque, qui ante scientiam, accusatione tamen instituta, vel cum in scelere deprehensus fuerit, mortem sibi conscivit, aut corrupto adversario obierit diem, pro confesso habetur, videtur enim conscientia metu id fecisse. *l. Imperator. 2. ff. de bon. eorum, qui ante sent.* Et ideò ejus bona perinde ac damnati publicantur, modò eo crimine nexus fuerit, ut convictus bonis careret. *l. qui rei. 3. in pr. §. 2. & 3. ff. de bon. eorum, qui ante sent. l. 1. C. eod. l. in fraudem. 45. §. 2. ff. de J. fisci.*

XXV.

Interdum etiam sola taciturnitate quis confitetur. *l. bujur. 1. §. scientiam. 3. ff. de tribut. act.* veluti si quis in iudicio contumaciter tacet, nec iudici interroganti respondet. *l. de atate. ii. §. 4. ff. de interrogat.* Et nihil interest, neget quis, an taceat interrogatus, an obscure respondeat. *d. l. ii. §. nihil. 7. ff. de interrogat.* Idem est, si quis ea, quæ ab adversâ parte allegantur, non it inficias,

cias, tunc enim tacite confiteri videtur. *l. qui tacet. 142. ff. de R. J. c. qui tacet. 43. c. is qui tacet. 44. eod. in 6.* Inde in ore Advocatorum nihil frequentius, quam hoc: *Kläger/oder Beflagter acceptiret in bester Form Rechtens / daß gegener nunmehr stillschweigend einreum:n muß/wie das etc.*

XXVI.

In summa denique ad cognoscendum, quæ confessio valida sit vel non, necessarium est, hosce Hostiensis versiculos inspicere:

Major, sponte, sciens, Dominus, pars, lis, sed & in se
Confessus, certum, compos, pro judice, jure
Damnatur: nisi lex, favor, aut natura repugnet.

XXVII.

Finis confessionis est, ut sumptuum redimendorum gratia, & absque longioribus ambagibus eâ veritas eliciatur, exitusque litium inveniatur. *c. 1. ibiq. gl. de confess. in 6.* minui namque eas, & sopiri publicè interest. *c. nonnulli. 28. §. cum a. extr. de rescript.*

XXIX.

Confessionis effectus est, quòd legitimè confessus regulariter pro judicato sit. *l. confessus. 1. ff. b. t. l. un. C. eod. Paul. lib. 5. sent. tit. 5. §. confessi. 1.* & post rem judicatam, vel jure jurando decisam, vel confessionem in jure factam nihil quæritur. *l. post rem. 56. ff. de re judic.* Sicut igitur res judicata ex albo facit nigrum, & contrà, ita & confessio. Et hoc ratione non caret, quia confessus sua propriâ sententiâ damnatur. *l. confessus 1. ff. b. t. sua confessione suo, quod ajunt, gladio sese jugulat.* Non immeritò ergò suæ confessioni acquiescere debet, nec eam revocare potest. *l. generaliter. 13. C. de non num. pec. c. per tuas 10. extr. de probat.*

XXIX.

Hic quæritur, an sententia in confessum ferenda sit? Non desunt, qui textibus & rationibus quibusdam moti statuunt, sententiam hoc in casu superfluam esse, verùm, distinguendo inter causas criminales & civiles, res plana erit. In criminalibus, quando quis confitetur, sententia s. pronuntiatio judicis

ut

ut accedat, requirit *l. si confessus. 5. ff. de custod. & exhib. reor.* exactè etenim judiciorum ratio in criminalibus observanda est. *l. libellorum. 3. ff. de accusat.* In civilibus verò quando versamur, tunc proceditur, aut de plano sine forma judicii, & hoc casu sententia judicis confessione in jure facta, non requiritur, sed sufficit confesso imponere, ut rem confessam intra certum tempus præstet. *l. un. C. h. r. l. confessus. 1. l. certum. 6. §. fin. ff. eod. l. post rem. 56. ff. de re judic. l. proinde. 25. §. fin. ff. ad L. Aquil. l. fin. §. fin. ff. quod met. causa.* Aut ordine judiciario, contra confessum utor, & tunc super confessione ferenda est sententia. *l. fin. C. de execution. rei judic. l. Julianus. 3. l. qui Stichum. 4. ff. b. r.* nam sententia inter præcipuas judicii partes refertur, ideò ea omitti nequit, & confessus pro convicto habetur quantum ad onus suscipiendæ probationis ab adversario, sed non quoad condemnationem, quæ sequi debet.

XXX.

Cùm igitur, uti dictum fuit, sententia in criminalibus necessariò confessionem sequatur, judex, ut sibi caveat, factâ confessione, reum interim, donec pronuncietur de eo, in vincula publica conjici curet. *l. si confessus. 5. ff. de custod. & exhibit. reor. l. si quis. 2. C. eod.* Secutâ autem pronunciatione, nocens pœnæ subdatur. Ea enim crimine denudato frustra differenda non est. *l. si quis. 6. in pr. ff. de pœn. l. cum reis. 18. C. eod. l. 1. l. fin. §. 1. C. de cust. reorum.* nec facilè, quia publicè interest, remitti pœna potest. *l. si operis. 14. C. de pœn. l. ita vulneratus. 51. §. estimatio. 2. ff. ad L. Aquil.* Sanctissimum namque officium est, si fiat justitia, nec potest pingvior victima mactari Deo, quàm homo scelertus, secundum Senec. & facilitas veniæ tribuit incentivum delinquendi. *c. ut Clericorum. 13. extr. de vita & honest. cler.* Quoties itaque criminosi dimittuntur impuniti, turbantur lætitiæ & gaudia hominum. *l. nemo. 3. vers. sed ab his. C. de Episc. audient.* Interdum tamen pœna mitigatur, ut quando confessio spontanea fuit. *l. un. C. ne tut. vel curat. vectig. auth. novo jure. C. de pœn. jud. l. edicto. 13. in pr. l. senatus. 15. §. senatus. 3. ff. de J. Fisc. c. fin. extr. de furt. & tunc pœnitentiâ præsumitur.* Inde rectè canit Horat. lib. 1, Sat. v, 73. & seqq.

C Qui,

Qui, nē tuberibus propriis offendat amicum
Postulat, ignoscat verrucis illius: æquum est
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.

Et Ovid. lib. II. Metam. Fab. 2.

Mite Deūm Numen Bacchus peccasse fatentem
Restituit, factique fide data munera solvit.

Idem Lib. 10. Metam. fab. II.

Numen confessis aliquod parec.

E contrario autem contumacia poenam cumulat. *l. relegati. 4. ff. de pæn. l. de etate. 11. §. qui tacuit. 4. ff. de interrogat.* Culpa enim culpā additur, quia culpam deprehensam pertinaciter tueri altera culpa est, & rem manifestam inficiari, augmentis erit crimen, non diluentis. *Plin. in Epist.*

XXXI.

Confessio ei tantum, qui confessus est, nocet, non etiam aliis. *l. fin. C. de accusat.* Inde constat, quod socius criminis nec pro socio, nec contra socium probare & testari regulariter possit, quia de reatu proprio confitentis periculosa confessio non est adversus quemlibet admittenda. *c. cum monasterium. 1. extr. b. 1. d. l. fin. C. de accusat.* & qui de se confessus est, in caput aliorum non torquetur. *l. repeti. 16. §. 1. ff. de question. Paulus lib. 1. sent. tit. 12. §. fin.* Verum in crimine veneficii confessio socii criminis, s. veneficæ contra participes admittitur. *l. fin. C. de malefic. & mathemat.* ita, ut si venefica alias sponte & voluntarie nominet, talis nominatio s. confessio indicium quidem ad inquisitionem, non verò ad torturam faciat. In poenalibus enim causis benigniorem interpretationem apprehendere debemus. *l. factum. 155. §. 2. ff. de R. J. c. in pænis. 49. eod. in 6. l. Arrianus. 47. ff. de O. & A. l. si praeses. 32. l. interpretatione. 42. ff. de pæn. & experientia testatur, quod veneficæ in confessionibus suis saepe personas illustres & innocentes, fortè spe impunitatis & liberationis nominent: Et hoc verum est, nisi cum nominatione & confessione spontaneâ alia adminicula concurrant. Si duo pluresve socii criminis vel veneficæ contra alios concorditer confitentur, tunc sagæ nominatae rectè torquentur in casibus, quibus reus de complicibus interrogari potest. *l. quis*
*sent.**

Sententiam. 16. C. de pœn. Si venefica seu socius criminis in tormentis vel ad quæstionem judicis contra participes confitetur, hujusmodi quidem confessio indicium in casibus exceptis ad torturam parit, dummodo adminicula in Constit. crim. Carol. V. art. 31. conscripta concurrant. (1) ut nominatio illa fiat in tormentis. d. constit. 31. §. zum ersten. ibi in der Marter mit Namen. (2) Ut nominans generaliter de sociis interrogetur, non in specie vel de individuo. d. §. ibi. Und also auff dieselbe. (3) Ut reus de correo accuratè interrogetur, correumque cum omnibus circumstantiis describat, quomodo, ubi, & quando adfuerit. d. constit. 31. §. Zum andern. (4) Ut judex inquirat, an nominans cum nominato inimicitias alat, vel num vindictæ gratia eum nominaverit d. constit. 31. §. Zum dritten. (5) Ut judex inquirat, num nominata persona vicinis fideque dignis viris ita suspecta sit, ut crimine confesso commaculata videatur. d. constit. 31. §. Zum vierdten. (6) Ut nominans in nominatione constans perseveret. d. constit. 31. §. Zum fünfften. Ultimò, ut nominans suam confessionem juramento confirmet, & juret se vera fateri, injurato enim apprimè in gravioribus causis non creditur, c. fin. extr. de testib. cog. l. jurisjurandi. 9. C. de testib.

XXXII.

Quando verò confitens jam in extremis constitutus & ad supplicium ductus confessionem suam multis circumstantiis antea factam revocat, suâque revocatione delatos exculpate conatur, tunc judicis discreti arbitrio relinquitur, confessoris in confessione circumstantias adductas considerare, exindeque colligere, an crimen confessum sufficienter ex iis indicetur. Ideò quando persona nominata bonæ famæ & existimationis est, nec ulla veneficii indicia contra illam adsunt, exculpatio valet, & revocatio illa primam confessionem sponte, vel in torturâ, aut ad quæstionem judicis factam elidit: quando verò malæ fidei est, & contra eam firmæ & indubitatae præsumptiones militant, tunc secus est. d. constit. 31. §. fin. vers. Wo aber der Sager/ &c.

Dictum est *suprà*, quòd confessio quædam sit simplex, quædam qualificata, inde dubium oritur, an qualificata pro parte possit acceptari, & pro parte repudiari? Pro parte acceptari potest, quando contra qualitatem confessioni annexam est aliqua juris præsumptio: si nulla præsumptio juris contra illam qualitatem adsit, tunc subdistinguitur: confessio qualificata aut continet unum capitulum, hoc modo tota acceptari, aut tota repudiari debet, nec dividi potest: aut continet plura capitula, hoc casu etiam pro parte acceptari potest. *l. Publica. 26. §. 2. ff. de positi.* Utile enim per inutile non debet vitari. *c. utile. 37. de R. J. in 6.* imprimis verò in his, quæ dividua & separabilia sunt. *l. si sponsus. 5. §. generaliter. 2. ff. de donat. inter vir. & ux.*

XXXIV.

Voce propria vitium scelusque in iudicio confessus non auditur appellans. *l. observare. 2. C. quorum appell. non recip. c. quicumq; 25. 2. q. 6. c. pervenit. 13. c. consuluit. 14. extr. de appell.* Hoc enim casu appellans eludere iudicium videtur, cum tamen appellationis remedium non ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiae institutum sit. *c. cum speciali. 61. §. porò d. tit.* quod maximè verum est in criminibus, ratione quorum damnatos propter atrocitatem statim puniri publicè interest, ut sunt insignes latrones, seditionum concitatores, duces factionum, monetarii adulterinam monetam exercentes, raptores, &c. *l. constitutiones. 16. ff. de appell. l. si quis. 6. §. quid tamen. 9. ff. de injust. rupt. test. l. un. in fin. pr. C. de rapt. virg. l. quoniam. 1. C. de fals. monet. l. quoniam. 6. C. ad l. Jul. de vi publ. c. ut inquisitionis. 18. de heretic. in 6.* sed consuetudo plerisque locis in Germania hoc etiam ad alia iudicia criminalia extendit. Et ut hoc addam, licet quidam asseverent, in Germania & Roman. Imper. ex inveterata consuetudine in-
cau-

causis criminalibus appellationes non admitti, moti recessu
 Imperii Augusta Anno 1630. §. Item als itzt etliche. &c. & Or-
 dinat. Camera p. 2. c. 28. §. Item nach dem auch &c. quæ qui-
 dem constitutiones appellationes in criminalibus in Imper.
 Roman. in universon tollere videntur, easque hactenus non
 pauci ita intellexerunt; rectius tamen accipiuntur de pro-
 hibitione appellationum, quæ in Roman. Imper. ad Came-
 ram, tanquam supremum Imper. tribunal, non quæ ad
 inferiora judicia deferuntur. Nam in utroque textu dici-
 tur, contra inveteratum Romani Imperii usum in Camera
 Imperiali appellationes in criminalibus esse admittas. Id-
 eò constitutum fuit, saltem in Camera appellationes in cri-
 minalibus imposterum nè acceptentur. Aliàs igitur prior
 inveterata consuetudo in vigore suo manet & observa-
 tur; quia in adductis constitutionibus Imperii de aliis ju-
 diciis inferioribus totius Imperii nihil dicitur. Ideò illæ
 constitutiones ad alia judicia inferiora extendendæ non
 sunt, quia novæ constitutiones strictè accipiuntur, &
 quod non mutatur, quare stare prohibetur? *l. sancimus.*
27. C. de testam. l. statuas. 7. C. de religiof. Etsi in causis cri-
 minalibus Appellatio per consuetudinem esset sublata &
 prohibita, sequeretur, quòd appellatio consuetudine
 ac statuto tolli posset, sed posterius falsum est. *c. venien-*
tes. 19. extra de jurejurand. Constat ulterius in civilibus ap-
 pellationes esse admittendas, nec ullâ consuetudine tolli
 posse, ideò multò magis in criminalibus hoc procedit,
 quia in criminalibus probationes firmiores requiruntur,
 & causæ criminales diligentius, quàm aliæ examinari &
 excuti debent. *l. fin. C. de probat.* Itaque & hodiè in crimi-
 nalibus quibusdam causis appellatio non deneganda est, in
 processu præsertim ordinario. *l. addictos. 6. C. de Episc. au-*
dien. l. addictos. 29. l. si quis. 30. C. de appellat. l. non tan-
tum. 6. ff. eod. l. observare. 2. C. quorum appell. non
recip.

C 3 XXXXV.

Quæritur, an confessio spe gratiæ s. impunitatis à iudice promissæ facta plenè probet, ac idonea sit ad condemnandum, an verò iudex promissa servare debeat? Distinctione res decidenda est, aut Reus ob promissionem iudicis delictum quidem confessus est, sed de fide datâ incipit dubitare, ac deinde confessionem revocat, tunc puniendus non est. Ea enim revocatione ostendit talem confessionem, potius spe impunitatis malæque mansionis molestiam evitandi gratia, quam pro rei veritate factam esse. Iudex ergò in eiusmodi confessione fundamentum solidum constituere nequit, nè actus agentium operetur ultra eorum intentionem, *l. non omnis 19. ff. de reb. cred.* Aut Reus confessus est crimen, sed illam confessionem nec confirmavit, nec revocavit, hoc casu pœna saltem arbitraria imponenda venit. Reus enim ob datam sibi fidem à iudice confessus est. Fidei autem humanæ congruum est, ea quæ placuerunt servare, *l. huius edicti. 1. in pr. l. juris gentium. 7. S. ait prator. 7. ff. de pact. & fidem fallere grave est, l. hoc edicto. 1. in pr. ff. de constit. pecun. l. depositum. 1. ff. depositi. nec audiendus est, qui fidem frangit, l. illud. 25. in pr. ff. constit. pec.* Aut Reus crimen confessus in confessione perseveravit, eamque denuò reiteravit, hoc in casu locum habet pœna delicti ordinaria, & iudex excusatur, quia non habet respectum ad confessionem ab initio spe impunitatis promissæ factam, sed ad perseverantiam, & repetitam confessionem. Reus igitur sibi imputet, quod contra proprium commodum laboraverit.

XXXVI.

Prædicta procedunt, quando à principe aliòve potestate delictorum gratiam concedendi habente impunitas reo promissa est, tunc promissio gratiæ omninò servanda est: quando autem alius inferior iudex impunitatem promissit, qui tali potestate caret, sibi imputet confessor, qui tali promissioni fidem adhibuit. Et licet iudex nihil mallet, quam promissa servare, quia tamen non plus juris in alium transferre potest, quam ipse habet, *l. nemo plus, 54. ff. de R. J. C. nemo potest. 29. cod.*

ead. in 6. ideò nè delicta maneant impunita, l. ita vulneratus. xi. §. 2. ff. ad L. Aquil. reus pœnam omninò non effugiet.

XXXVII.

Sicut publico iudicio damnatum absque dubio infamia sequitur, §. ex quibusdam. 2. §. de pœn. rem. litig. l. furci. 6. §. 1. ff. de his qui not. infam. ita illum, qui judicialiter confessus est, l. pen. c. de interdict. matrim. Confessus enim pro iudicato est & quodammodo sua sententia damnatur, l. confessus. 1. ff. b. tit. & omne omninò, quod quis confessus est, pro iudicato habetur. l. certum. 6. §. sed & si. 2. ff. b. t. & hoc ulterius patet, quia pactus inter infames habetur, l. Athletas. 4. §. fin. l. furci. 6. §. passusq. 3. ff. de his qui not. infam. qui tamen tacitè tantùm confitetur, l. quoniam. 5. ff. d. tit. multo ergò magis confessus. Confessio namque expressa plus debet nocere, c. felicis. 5. de pœn. in 6.

quod iudicatum est pro iudicato habetur

XXXIX.

Confessus crimen rectè à numero testium in iudicio criminali excluditur, c. testimonium. 54. vers. in criminali autem. extr. de testibus. Et licet in criminalibus causis, uti supra dictum fuit, sola confessio non sufficiat, quia inquirendum est, num delictum revera sit perpetratum, l. in criminibus. 1. §. Divus 17. ff. de question. & factà demum inquisitione, sententia ferenda & exequenda est, tamen, ut quis repellatur à testimonio sufficit criminis alicujus confessio. d. c. 54.

XXXIX.

Si civili actione s. reali, s. personali quis conveniatur, & confessus fuerit, nihil refert, utroque enim modo confessus pro iudicato est, l. certum. 6. in pr. & §. 1. ff. b. t. Ideò si fundum vindicem meum esse, tuque confessus sis, perinde habebis, atque si domini mei fundum esse pronunciatum esset, l. certum. 6. §. sed & si. 2. ff. b. t. Et hoc verum est, si confessio facta sit per verba præsentis temporis, scilicet meum esse, arg. l. Pomponius 40. §. sed & is. 2. ff. de procurat. secus est si sit usurpatum verbum præteriti temporis, nimirum fuisse. Hoc enim casu quis non statim pro iudicato habetur, sed qualiter recesserit

rit

rit dominium adhuc quæritur, *l. siue possidetis. 16. C. de proba-
tion.* Et si alia quacunque actione civili, vel honoraria, vel in-
terdicto exhibitorio, vel restitutorio, vel prohibitorio con-
ventus confiteatur, dici potest, in his omnibus subsequi præ-
torem voluntatem orationis Divi Marci, & omne omnino,
quod quis confessus est, pro iudicato haberi, *l. certum. 6. sed*
et si. 2. vers. et si alia. ff. b. t. & quamvis quandoque dies non
datur, ad rem restituendam, quando nimirum res præsens
est, *l. officium. 9. l. qui restituere. 68 ff. de R. V. §. et si in rem. 2.*
J. de offic. Judic. ex his tamen actionibus, ex quibus dies datur
ad restituendam rem, confessio tempus ad restitutionem datur,
& si non restituatur, lis æstimabitur, *d. l. certum. 6. §. sed et si. 2.*
vers. Dabitur ff. b. t.

XL.

Confessio judicialis tantæ potentia est, ut secundum
Dd etiam post conclusionem in causa probatio per confessio-
nem admittatur, licet alia probationes tunc non recipiantur.
Item tollit præsumptionem juris & de jure, contra quam alia
probationes non admittuntur.

XLI.

Hoc etiam confessio judicialis operatur, ut eorum, qui
debita confessi sunt, bona pignoris loco capi, nec non, si intra
legitimum tempus solutio secuta non sit, distrahi possint, & sic
idem ac in re iudicata statuitur. *l. debitoribus. 31. ff. de re judic. l.*
fin. C. de execut. rei judic. Paul. lib. 5. tit. 5. §. eorum. 3. Ad eò,
ut confessata in judicio debita paratam executionem habeant.
Confessi ex die confessionis tempora solutioni præstituta quasi
ex causa iudicati habebunt. *l. certum. 6. §. fin. ff. b. t. l. si debitori*
21. ff. de judic. Paul. lib. 5. sent. tit. 5. §. Confessi. 1. Tempus au-
tem ex causa iudicati est 4. mensium, *l. eos quis. 2. l. fin. C. de u-*
sur. rei judic. & hoc ex lege 12. tabb. p̄romanavir, licet inibi sal-
tem 30. dies concedebantur.

XLII.

Hactenus dicta vera sunt in confessione judiciali. Extra
judic

437

judicialis autem easdem vires non habet, nec vim probationis plenam inducit, eoque impunè ex causa revocatur, *l. is qui. 25. ff. de R. V. l. electio. 26. §. neg. 5. vers. Et ideò ff. de noxal. action.* Usus namque vitæ docet, falsa quandoque aliquos fateri, vel ut facultates extenuent, vel ut mutuum roganti excusatiùs negent, vel ut importuni petitoris molestiã in præsentia se liberent, vel denique, ut gratificentur ei, cui confitentur, quo aliis locupletior videatur. Nisi in scriptis adjectã causã facta sit confessio. Tunc namque suis quisque confessionibus acquiescere debet, *l. generaliter. 13. C. de non num. pec.* quia, quando quis in scriptis aliquid fatetur, deliberatè dixisse præsumitur, *l. si quis iratus. 5. 2. q. 3.*

XLIII.

Inde confessio literis facta inducit literarum obligationem. Nam quando indigens pecuniã spe futuræ numerationis alicui chirographum dat, in quo confitetur certam pecuniæ quantitatem ab eo se accepisse, quæ tamen ipsi nec tunc temporis, nec postea adnumerata est, oritur ex tali Scriptura literarum obligatio, quæ contra confitentem producit actionem, quã creditor repetit pecuniam tanquam numeratam. Confidenti autem meritò succurritur per exceptionem non numeratæ pecuniæ, *§. idem juris. 2. §. de except.* qua se confessor in scriptis non quidem negat, sed pecuniam sibi numeratam non esse intendit. Et tunc scribenti subvenitur, tam excipiendo, sc. quando actor petit pecuniam promissam, quam agendo sc. repetendo obligationem per conditionem cautionis, *l. si quasi. 7. C. de non num. pec.* Verùm ultra biennii metas non extenditur. *§. un. in fin. §. de lit. oblig.* nimirum in sua propria naturã, quæ est, quòd creditor non obstante rei confessione in scriptis factã teneatur probare pecuniam esse numeratam, ut deficiente probatione absolutio sequatur, *l. si ex cautione. 3. C. de non num. pec. l. ut Creditor. 1. C. de probat.* Sed in natura non propriã, videlicet, ut excipiens, numerationem factam non esse, probet, biennio præterlapso opponi potest,

D

tunc

tunc enim hæc exceptio ad jus commune redit, & natura n. aliarum exceptionum assumit, arg. l. ejus militis. 34. §. 1. ff. d. testam. milit. Et hæc sententia comm. à Dd. recepta æquior ac in foro conscientia tutior est. Hoc etiam hinc notandum venit, si quis bis confiteatur, non videtur amplius propter secundam confessionem teneri.

XLIV.

Confessio extra judicialis parte altera præsentate, vel nomine ejus alio confessionem acceptante, & coram testibus facta in civilibus causis plenam fidem facit, ac vim pacti obtinet, hæredibusq; confitentis præjudicat, l. tale pactum. 40. ff. de pact. l. cum de indebito. 25. §. fin. ff. de probat. Ultra præsentiam partis non requiritur acceptatio, quia tendit in favorem præsentis, ideò præsumitur acceptatio ex ejus parte, arg. l. qui patitur. 18. ff. mandati. l. Publica. 26. §. fin. ff. depositi. Si quis autem absente aliquo confiteatur, se illi obligatum in centum, talis confessio sibi non præjudicat, gl. in l. cum de indebito. 25. §. fin. ff. de probat. Nec potest absens sese ex tali confessione fundare, cum non videatur facta ex certa causa, sed potius ex abrupto, & ex aliqua occasione, sæpe enim quis, ut se excusaret, dicit, se debitorem alicujus absentis esse, cui in veritate in nullo tenetur.

XLV.

Hoc certum est, quòd confessio extrajudicialis, quæ fit ad obligandum confitentem, non pariat obligationem, multo minus actionem, quia obligatio est mater actionis, l. licet. 42. §. ea obligatio. 2. ff. de procurat. Sed quando continet causam obligatoriam, tunc inducit probationem contra confitentem, l. Publica 26. §. Titius. 2. ff. depositi. l. generaliter 13. C. de non num. pec. Ideò notandum, quando quis ex confessione vel inscriptis vel ore facta contra confitentem agere vult; si ex ipsa confessione, vel ex Scriptura, in qua continetur confessio, præcisè agit, dicendo Titium fuisse confessum, se ab eo recepisse centum libras argenti, & producit instrumentum
con.

confessionis, quod tunc succumbat, quia videtur sine actione experiri: Sed si agit ex deposito dicens se realiter deposuisse 100. libras argenti penes Titium, & postea in termino probatorio producit instrumentum confessionis vel testes, qui idem probant, tunc obtinebit.

XLVI.

Si maritus in scriptis confitetur, uxorem ipsi dotis nomine certam pecuniæ summam, vel aliàs res mobiles intulisse, illa confessio non aliter probat, nec quis ad repetitionem dotis admittitur, nisi de reali adnumeratione aliter appareat. Dotem enim numeratio, non scriptura dotalis instrumenti facit. *l. dotem. 1. C. de dot. caut. non num.* Ideò creditoribus talis confessio non nocet, nec privilegium prælationis, quod uxor in bonis mariti contra creditores habet, in dote cauta, & non numerata locum habet. Hæc dos à Dd. dos confessata vocatur. De eâ enim non aliter constat, quàm per mariti confessionem, quia sæpe evenit, ut maritus tantum potiundæ sponsæ causa confiteatur, se recepisse dotem, quam tamen non accepit, sed sperat se accepturum.

XLVII.

Illam confessionem, quæ Sacerdoti in templo facta, & postmodum ab eo revelata est, nihil probat, eamque Sacerdos secutâ absolutione nè verbo, aut signo, vel alio quovis modo revelare debet. *c. omnis. 12. extr. de pœnit. & remiss.* adeò, ut, si in testem producat, secreta confessionis aperire minimè compelli possit, quia illa non ut homo, sed ut Dei vicarius scire intelligitur: Proinde interrogatus sine mendacio recte de sua ignorantia respondet: Nam ut homo & testis ignorat factum, super quo interrogatur. *c. si Sacerdos, 2. extr. de off. jud. ordin.* Et hoc procedit in delicto jam perpetrato, si verò est perpetrandum delictum, tunc illud, ut factum, quod deinde irrevocabile est, evitetur, detegere

potest, & quidem in genere, non nominando personam. *d. c. omnis. 12. in fin. extr. de pœnit. & remiss.* Quando Sacerdoti à confitente licentia revelandi secreta confessionis expressè data est, tunc rectè illa revelare potest, & idem est, ac si confessio ipsi judici facta esset, quod enim quis per alium facit, perinde est, ac si illud fecerit per se ipsum. c. qui facit. 72. de R. J. in 6. Imò hic consensus & licentia hunc parit effectum, ut testimonio Sacerdotis sic detegentis atque revelantis confessionem fides adhibeatur in iudicio. Siquidem habito hoc consensu à confitente, desinit hæc confessio esse Sacramentalis, & Sacerdos non amplius Sacerdotis personam sustinet, sed solum testis, itaque tanta huic confessioni fides adhibenda est, quanta adhiberi solet alteri testi, imò paulò plus ob Sacerdotalem dignitatem.

XLIIIX.

Affinia confessioni sunt interrogationes in iure factæ. Quando enim quis in iudicio agere volebat, ut adversarium suam confessione constringeret, & ex ea certam efficacemque actionem impetrare posset, ejusmodi interrogationes, scilicet utrum Adversarius possideret, & an pro hærede &c. ante iudicium inchoatum coram iudice proponebat: ex quibus interrogationibus responsione subsequutâ, aut contumaciter non subsequutâ actio interrogatoria oriebatur. *tt. ff. de interrog. quæ & confessoria nominabatur. l. proinde. 25. §. 1. ff. ad L. Aquil.* Sed quia reus non tenetur Actori arma subministrare, & nemo cogitur ante iudicium de suo iure respondere, idè interrogatoriæ actiones ætate etiam Jureconsultorum minus frequentari cœperunt, tandemque in desuetudinem abierunt, *l. toties. 1. §. 1. ff. de interrog.* Postea autem introductum fuit, ut lite demum contestatâ certas positiones super contentis in libello suo actor afferret, easque in Scriptis iudici traderet, cum in finem, ut reus juramento respondendorum præstito, positionibus ejusmodi responderet, confitendo vel negando.

do. Quod litium dirimendarum remedium, Pontifices, quia illis utile videbatur, postmodum approbârunt. *c. saepe. 2. §. Et quia positiones. de V. S. in Clement.* Et differunt positiones ab Articulis, quod his testes, instrumenta &c. adhibentur ad illorum probationem. Positionibus verò utimur propter veritatem ab adversario eliciendam.

XLIX.

2. Probatio, quia si reus ipse confessus fuerit, acquiescendum est, & iudex sententiam ferre potest. *l. cum te. 5. C. de transact.* licet confessio aliquo modo efficacior sit probatione. Nulla enim melior probatio confessione propriâ Adversarii haberi potest. *l. generaliter. 13. C. de non num. pec. d. l. cum te. 5. C. de transact.* & vulgò dici solet, confessionem esse probationem probatam. Facit ad hoc illud Ovidii:

Non est confessi causa tuenda rei.

Interim accuratius rem ponderando dandum, quod probatio non sit genus confessionis.

L.

3. Res iudicata. Sicut enim post rem iudicatam nihil quæritur, ita post confessionem in iure factam. *l. post rem. 56. ff. de re jud. & confessus pro iudicato est. l. confessus. 1. ff. h. e. l. un. C. eod. d. l. post rem. 56. ff. de re judic.* quia eadem est ratio exequendæ rei confessæ & rei iudicatæ. *l. fin. C. de execut. rei judic.*

L I.

Confessioni contraria sunt non modò ea, de quibus *suprà*, ubi de materia & formâ confessionis actum fuit, verùm etiam confessiones repentinæ calore iracundiæ sc. effusæ non obligant, sed in continenti revocari possunt. **Quicquid**

D 3 anima

enim calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum
est, quàm si perseverantia apparuit iudicium animi fuisse.
*l. quicquid. 48. ff. de R. J. nisi quis in confessione perseverave-
rit, tunc ea nocet. gl. in c. ex literis. 5. verb. admonita. extra de
divorc.*

LII.

Si confessio per iudicem fuerit improbata, non est illicitum post confessionem contra suam sententiam venire.
c. mulieri. 34. extr. de jurejur. Cum enim iudex in dicto ca-
su confessionem mulieris non receperit, non potest se in ea
fundare, & cogere partem ad observantiam. *c. ex eo. 38. de
R. J. in 6.* Ante improbationem verò confessionis, vel si
secundum eam pronunciatum fuisset, non licet contravenire.
Et tantum hac vice.

Auxiliante Deo posthac cum tempore plura.

**DEO Uni in Trinitate, & Trino in Unitate,
sit Laus & Gloria inter-
mina.**



COROLLARIA.

1. Confiteri etiam intelligitur is, qui subscripsit.
2. Præceptum datum per iudicem
in

440
in confessum, ut solvat vim sententiæ de-
finitivæ habet.

3. Res sacræ & religiosæ captæ ab ho-
stibus desinunt tales esse.

4. Si quis vulneratus mortiferè, post
ea ruina vel naufragio, vel alio ictu matu-
rius perierit de occiso agi non potest, sed
q̄. de vulnerato.

PLura darem pronus tibi carmina *Doctorande*,
Si mihi suppeterent oia; pauca cape.
Successere velut studiorum tam benè cursus,
Tam benè succedant præmia digna, precor.

amoris ergò deprop.

Valentinus Riemer;
D. h. t. Rect.

Magnos in magno fecisti jure profectus
Confessus solito tempore legis opes.
Maxima testis adest CONFESSIO publica, nec non
Musa fatetur opus tmemata scripta probans.

Ortolphus Foman, D.
Ordinarius.

Cl.

*Clarissimo Dn. Candidato, Amico, & quon-
dam Condiscipulo suavissimo S.*

PArta Tibi tandem requies, post mille labores,
queis mare, queis tellus est peragrata Tibi;
queis Consultorum lustrata volumina Juris,
cognitus atque Fori Judicii que vigor.
Sic exantlatis requiescit nauta procellis,
sic quoque speratas carpit arator opes.
Sic etiam meriti Tibi decernentur honores:
ne quem ludoris poenituisse queat.

Autoged.

*M. Johannes Michael
Dilherr/P.P.*

F I N I S.